



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Locus ab Abiunctis. Cap. XXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



est apud Malachiam illis verbis: Filius honorat patrem,  
& seruus dominū suum; si ergo pater ego sum, ubi est ho-  
nor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus?

A Contradicientibus.

Contradicentia, siue contradictoria, quæ Latini dis-  
parata nominant, sunt affirmatio & negatio eiusdem rei  
de eodem subiecto: quorum alterū ait quid, alterum ne-  
gat; vt sapere, & non sapere; si hoc est, illud non est; Chri-  
stum diligit, qui eius præceptis paret; qui non paret, non  
diligit: qui ex Deo sunt, hoc est, qui Deum patrem agnos-  
cunt, verba Dei audiunt; qui non sunt, non audiunt; fa-  
bulis aut theatris libentius intersunt, quàm concionibus.

Locus ab Adiunctis. Cap. XXXV.

**L**OCUS verò ab Adiunctis, personarum & rerum  
attributa omnia penè complectitur: sic describuntur  
Adiuncta, quæ cum re sunt coniuncta, vt locus, tempus,  
vestitus, comitatus, apparatus, colloquia, in incessu veloci-  
tas, rubor, pallor, & cæc. quæ rem magis exprimunt, &  
actiones aut meliores, aut deteriores efficiunt. Valebit  
ad rem illustrandam & amplificandam hic locus pluri-  
mum: verbi causa, orator reprehēdens eos, qui in Eccle-  
sia ambulant, ita dicet: Quid agitis miseri? domum Dei  
facitis speluncā; coram rege regū deambulatis attoniti,  
quasi eum non agnoscatis, partem in aliam oculos verti-  
tis; diebus Dominicis, quibus consideranda sunt innume-  
rabilia, quæ accepimus, beneficia, stulti nimium nihil mi-  
nus cogitatis; genio indulgetis, aleis, iocis, detractionibus,  
saltationibus dies Deo dicatos cōsumitis. B. Basilius hunc  
locum



locū adhibuit in sermone de ieiunio. Ieiunātis color grauitatis plenus est, non impudentem ruborem efflorescens, sed pallore modesto ornatus, placidus & serenus oculus, sedatus incessus, vultus animi secum loquentis index, nulla intemperantis risus insolentia, moderatio lingua, et cordis puritas. Adhibuit etiam eundem locum, coloribus depingens iracundum: Num decorus est vir iracundus? deponit figuram humanam, belluæ figuram assumit, efferebuit ira, commoti sunt oculi, non sunt ijdem oculi, ignis faciem induit. S. verò Hieronymus hoc loco est vsus, cum extremum iudicij diem exprimeret: Siue comedo, siue bibo, siue dormio, semper insonat auribus meis illa vox, *Surgite mortui, venite ad iudicium.*

Locus ab Antecedentibus.

Cap. XXXVI.

**A**NTECEDENTIA, hoc ab adiunctis differūt, quòd antecedentia sic antecedunt consequentia, vt cum ipsis necessariò cohereant; adiuncta, nò coherent necessariò. Ratio argumentandi ab antecedentibus, est huiusmodi: Christus resurrexit, qui est resurrectio nostra, & nos resurgemus: nobilissima virtute qui est pradius, nempè charitate, patiens est, benignus est, nò querit, quæ sua sunt, sed gloriam Dei habet propositam.

Locus à Consequentibus.

Cap. XXXVII.

**A**Consequentibus talis est argumentandi forma: Prudens est, ergò res dubias non affirmat: qui est sapiens, est humilis. Insignis est locus apud Euangelistam Mattheum, quo Dominus & magister omnium, à conse-